

Franckesche Stiftungen zu Halle

Primae Lineae Didactices Scholasticae In Vsum Praelectionvm Dvctae

Dommerich, Johann Christoph

VVolfenbvttelae, 1762

VD18 12875910

Caput II Complectitur Regulas Instituendi Speciales

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-190566



C A P V T I I

COMPLECTITVR

REGVLAS INSTITVENDI
SPECIALES

SECTIONE I

IN

LINGVIS DISCENDIS AC DOCENDIS

§. CXXXVII.

Quae in scholis docentur omnia vel ad linguas vel ad disciplinas spectant. Antequam igitur, quomodo illarum quaelibet singulatim docenda sit, indicemus: hoc capite speciales quasdam regulas suppeditabimus, quae tum ad linguas tum ad disciplinas recte docendas, faciunt. Ab illis initium faciamus, quae in linguis obseruandae sunt.

§. CXXXVIII.

Ex scholis linguas qui exterminare voluerit, is omnem cum his eruditionem eiicere deberet. Absque his enim instrumentis
eru-



eruditio nulla comparari potest. Plus temporis instrumentis eruditionis parandis, quam ipsi eruditioni plerumque, impendi, non immerito dolendum est. In scholis enim decem pluresue anni cum linguis addiscendis tribuantur: vix tres vel quatuor ipsi eruditioni in Academiis consecrantur. Nam post id tempus, studiis ad muneris administrationem, remque familiarem obeundam, conuersis, magis de conseruandis, quae didicere, quam de augendis amplificandisque solliciti solent esse plerique, qui bene etiam erga litteras sunt adfecti.

§. CXXXVIII.

Quosdam igitur conatos esse, rationem nobis expedire, qua et breuiori tempore, et minori labore, cognitio linguarum, quanta sufficit, parari possit, non miramur. Quidam infantem, vix a matris remotum vberibus, iis tradi voluere, qui aliud verbum cum ipso non loquerentur, quam in ea lingua, quam eum addiscere volebant: vt adeo alienam prius linguam teneret, quam se didicisse sciret, patrium autem idioma facile ex conuersatione et vsu priori superadderet. Quae res non semel tentata feli-



citer succcessit. His exemplis aliqui moti sunt, vt focietates et quasi ciuitates quasdam institui voluerint hominum, qui graeca vel latina lingua sola vterentur, ad quos deinde mitti posset iuuentus, quemadmodum linguae addiscendae caussa in Galliam vel Italiam solet mitti. Alia alii via rem aggressi sunt. Sed generatim de expeditis illis linguas docendi rationibus monemus, eas fere omnes priuatae tantum vnus, aut paucissimorum institutioni esse accommodatas, et quantum laboris demant discipulis, tantum deuoluere in praeceptores. Cum igitur paucissimorum sit, eas facere in liberorum institutionem impensas, quantas illa ratio requirit, et difficulter reperias praeceptorem, qui laborem tantum, molestiamque in se suscipiat, tantumque doctrina et prudentia valeat: non maioris illae vsus esse videntur.

§. CXXXX.

Alii maiori cum vtilitate regulas inuestigarunt, quibus accurate obseruatis, linguae facilius et discuntur et docentur. Primum in his locum iure meritoque suo occupat GESNERVS, ὁ πρῶτος, qui sequentes proponit regu-



regulas, quibus meliores inueniri vix poterunt. Prima discendi regula haec est: *ea lingua primum discenda est, quae ad reliquas instrumenti habet rationem.* Latina proinde ante omnes alias discenda est. Hac enim bene percepta, primum in graecis multo erit facilior progressio, tum ob cognationem vtriusque linguae plane singularem, tum quod grammaticae graecae maximam partem hac lingua scriptae sunt, maxime vero ob versionum commoditatem. Accedit quod nullius linguae maior ab erudito homine cognitio requiritur. Opera igitur danda, vt maius eam excolendi spatium superfit. Non tamen valde peccabit, qui earum linguarum, quae hodie in vfu sunt gentis alicuius, vnam aut plures vel ante latinam, vel eodem tempore, si occasio ita ferat, ex vfu et consuetudine hominum addiscet: neque confusio timenda apud eos, qui alias ad litterarum studia non sunt inepti. Nec etiam nimis diu differenda est graecae linguae cognitio, sed post mediocres in latina progressus statim subiungenda.



§. CXXXXI.

Altera regula haec est: *ante reliqua omnia, et quam primum per aetatem fieri potest, linguae addiscendae.* Tum quod artium ipsarum debent esse instrumenta, tum quod memoriae in primis et ingenii ope linguae discuntur, quas facultates in iuventute esse robustissimas, cum aetate paulatim, in primis si non diligenter colantur, decrescere, vimque suam amittere, experientia et ratione deprehensum est. Occupandum igitur tempus, quo his facultatibus plurimum valemus. §. CXVIII. Si aliquantum adultus ad linguam addiscendam aggreditur, *is tertio loco prius a perito illius linguae generales quasdam eius rationes et naturam tradi sibi curet, in quibus cum vernacula conueniat, aut alia, quam tenet, in quibus discrepet.*

§. CXXXXII.

Regula quarta: *praecepta sint pauca, exercitatio multa et assidua; et ipsa praecepta saepe legendo potius, quam anxie ediscendo, memoriae imprimantur.* Pauca esse volumus praecepta, non tamen nulla, in iis praesertim linguis, quae in usu communi gentis alicuius esse desierunt. Quod enim ad
vigen-



vigentes adhuc attinet, in iis vel sine praeceptis, solo usu profici, quotidie videmus. Si enim omnino nulla sint praecepta, sed usus omnia relinquantur, tum, quoties non succurret animo, quibus verbis linguae periti eam rem, quam dicere volumus, expresserint, toties haerendum erit, atque obmutescendum, nisi tales quis exercitationis ope progressus fecerit, ut inde normas, quibus in dicendo regatur, sibi ipse collegerit, quae ipsa sunt praecepta et regulae. Melius autem est, a doctissimis viris collecta paruo labore accipere, quam magna molestia, eaque saepe infelici, ipsum sibi parare. Neque regularum multitudine ingenia obruenda, ne laboris molestia discendi omnis voluptas excutiat. Post lectionem, quae viva praeceptoris voce magis, quam formulis et canonibus indiget, primum memoria comprehendantur nominum verborumque flexiones, maxime regulares et communissimae: tum adverbia praecipua diligenti lectione reddantur familiaria, quibus brevissimo temporis spatio ita factis, statim ad lectionem alicuius scriptoris, qui facilius sit, i. e. de rebus nobis iam ante cognitis, et verbis communibus tractet,



et, accedatur, et quae occurrent, a communi illa flectendi ratione, quam memoria tenemus, aut a ratione construendi vernacula aliena, ea in grammatica euoluantur, et regulae, formulaeque ibi positae ad rem praesentem applicentur. Quod exercitationis genus si tempore non ita longo secuti fuerimus, melius etiam inhaerere memoriae sentiemus praecepta, quam si anxia sedulitate edificere singula eorum verba studissemus.

§. CXXXXIII.

Regula quinta: *in primis opera danda, ut particulae cuiusque linguae probe cognoscantur.* Particulae sunt illae orationis partes, quae flecti et variari non possunt, a quibus ad intelligentiam linguae alicuius maximum pendet momentum. Sunt enim quasi nerui et articuli orationis, quibus omnia connectuntur, propositionumque ad se invicem respectus indicatur. Sexta regula: *ubi fieri potest, initio linguae addiscendae vel omne tempus nostrum, vel plurimum saltem tribuamus.* Hoc de illis iterum intelligendum est, qui ea sunt aetate, ut intelligere possint, consultum esse, aliquot mensium tedium



dium totidem hebdomadam molestia redimere. Hac ratione memoriae etiam consultitur: nam si vno tenore, feruentique studio multum temporis molestis illis initiis tribuas, continua vehementique tractatione firmiter adeo memoriae imprimuntur, et crebra applicatione confirmabuntur, vt postea loco se moueri facile non patiantur.

§. CXXXXIII.

Regula septima: *sub initium studii operanda, ut vnum boni auctoris librum, vel aliquot saltem eius paginas ita intelligamus, ut nihil plane in eis nos fugiat: cui deinde fundamento superstrui identidem plura poterunt.* Sic enim pleraque grammatices praecepta, plurimorum vim vocabulorum, particularum vsus flexionisque rationem comprehendet. Perget tum ad alia, et ita in legendo versabitur, vt attentionem quidem lectioni praestet, sed tamen non nimis diu circa ea, quae non intelliget, se torqueat: sed potius ea in commentariis, ad eam rem paratis, vel ipsius libri margine adnotet, et, quoties tulerit occasio, aut ipse diligentius in ea inquirat, aut doctorem consulat. Multa, cum sequentia legerit, intelliget, multa cum iterum inspiciet, intelli-

intelli-



intelligere se deprehendet, mirabiturque, difficultia ante sibi visa. Interim tempus illud, quod anxiae molestaeque inquisitioni tribuendum fuerat, lucrificet, aliaque sibi magis profutura minore molestia didicit.

§. CXXXXV.

Regula octaua: *nulla negligenda est praeceptorem viuum audiendi occasio, neque tamen mortui praeceptores insuper habendi.* Saepe praeceptor non imperitus vno temporis momento plus docere potest, quam multis horis posset ex sola lectione disci. Saepe nos aliquid intelligere putamus, cum minime intelligamus. Scripta hominum doctorum attente deinde legenda, ipsaeque ratio in consilium adhibenda est, vt propria meditatione confirmentur omnia, et in succum quasi et sanguinem conuertantur.

§. CXXXXVI.

Nona regula: *versiones in consilium adhibendae, non nimium tamen illis tribuendum.* Qui linguam quamcumque discere incipiunt, accurata versione nihil his fingi potest accommodatius. Siue enim verbo verbum reddat, quid tironi commodius, quam si ex ipsa statim versione videat, quo quaelibet vox pertineat?



tineat? siue sensum tantum sequatur, verborum secuta, quid magis in singulorum verborum cognitionem nos ducere potest, quam si quis sensus vniuersorum sit, iam ante constet? Quae commodior repetendi ratio, quam si versionis beneficio, quae elapsura videbantur, in memoriam reuocentur. Saepe etiam verbis omnibus intellectis, sensus adhuc est obscurior, ubi commode versiones succurrunt, non imperitioribus tantum, sed iis etiam, qui profectus habent haud contemnendos. Est tamen et hic pulcherrimum illud, *ne quid nimis*, probe obseruandum. Nimirum in versione non est acquiescendum, sed curate omnia perpendenda, ut primum quidem alienis oculis, deinde vero etiam nostris, nostroque ipsorum iudicio utamur.

§. CXXXXVII.

Decima regula esto: *prius intelligere discamus linguam, quam loqui vel scribere* Nititur haec communissima bonae methodi atque ordinis regula, a facilioribus esse incipiendum §. CXXV. Hinc in scholis non statim latine scribere cogantur discipuli. Multo magis praestat, ubi ex latino aliquid in patrium

trium



trium sermonem transferre iubentur. Sed ubi aliquantum confirmati fuerint, tum vero stilus erit arripiendus, neque unquam deponendus de manibus, siquidem non nisi scribendo scribere discimus. Regula undecima: *in linguis cognatis in primis ad modos, quibus unius voces in alteram traducuntur, est attendendum.* Mirum est, quantum haec res ad parandam verborum copiam conducat. Voces enim prima specie dissimillimas, si deriuandi illam rationem teneas, easdem esse deprehendes. Non in graeca tantum et latina id obseruari potest, sed in primis etiam in tribus latinae filiabus, gallica, italica et hispanica. Hic si probe scias, quibus modis Itatorum voces Galli et Hispani suas faciant, quibusque Itali latinas ad se traducant, infinitam vocabulorum copiam eadem opera tibi conciliaueris. Qui labor ita facilis est, ut et pueris possit proponi.

§. CXXXXVIII.

Regula duodecima: *significationes vocum primae diligenter sunt obseruandae.* Multa in omnibus linguis verba, quibus plures vna potestates subiectae sunt, difficultatem haud parua



paruam nobis obiiiciunt. Si tamen probe attendas, pleraque vnam aliquam et primam significationem habent, sub qua reliquae ferre continentur, talem minimum, quae reliquis occasionem dedisse, videri potest. Hanc igitur primam significationem inquisuisse, et probe familiarem sibi reddidisse, operae profecto pretium erit. Atque oprandum, vt in quauis lingua lexica exstarent, in quibus omnium eiusmodi vocabulorum primo generalis aliqua notio poneretur, deinde naturali ordine reliquae significationes subiicerentur: quod in suo eruditionis romanae thesauro egregie praestitit immortalis GESNERVS. Neque tamen haec industria, qua incredibiliter memoriae discentium, prouectiorum etiam consulitur, in vanam aliquam exilemque nimis diligentiam euadere debet, neque rei repugnante natura stulto labore indulgendum, qua ratione varie et a multis peccatum esse, non est infitiandum.

§. CXXXXVIII.

Regula tertia et decima: *formae quaedam nominum, aut verborum sunt notandae, quae certos significandi modos inferre solent.* Haec regula pueris quidem proponenda non est, sed

L

iis,



is, qui subactum non nihil rationalis philosophiae praeceptis ingenium habent, tanto maioris usus esse potest. Si enim etymologia vocis cognita tantum fit, et insuper, quae formae quam significationem adfricare vocibus soleant, constet, magno id ad ipsam vocem vel sine ope lexicī intelligendam, erit subsidio. Huc pertinet, ut diligenter obseruetur, quae praepositiones, quam vim in compositione cum nominibus verbisque habeant, quae terminationes nominum verborumque quid significant, et quae sunt similia, in quibus omnibus iam doctorum virorum opera viam diligentibus muniuit.

§. CL.

Aurea denique regula quarta decima: *qui scribere aliena lingua vel loqui voluerit, operam, quantum potest, dare debet, ut ea ipsa lingua statim cogitet.* Sentient, qui advertere animum voluerint, saltem antequam satis in linguae alicuius cognitione profecerint, quoties aliquid aut dicere velint, aut scribere, toties paternae linguae vocabula sibi obuersari, quae deinde, ut possunt, aliena lingua exprimunt. Ita vero fieri non potest, ut non multi eius linguae, qua primum cogitamus



tamus, idiotismi immisceantur. Cum enim non perfecte duarum linguarum voces et dicendi formae sibi inuicem respondeant, necesse est, ut saepe aliquid arripiatur, quod externam quidem aliquam conuenientiam cum vocibus, quas cogitamus, habeat, sua autem lingua aut nihil, aut certe non id, quod nos volumus, significet. Igitur necessarium est, si emendate scribere velimus, ut rerum, quas cogitamus, simulacra non alia, quam qua scripturi sumus, lingua menti nostrae obuerfentur. Eadem et lectionis ratio est, ubi eo peruenisse oportet illum, qui linguam sese tenere, dicere velit, ut, quae legit, non prius tacite apud animum in notio rem sibi linguam transferat, sed ut res ea ipsa, qua legit, lingua se in animum insinuet, neque magis de alia cogitare opus habeat, quam si eam solam, qua legit, calle-ret. Id quod ex iis, quae modo dicta sunt, facile potest intelligi.

§. CLI.

Superfunt regulae quaedam, quae in pri-mis docentibus debent esse commendatae. Prima est: *ut, quantum fieri potest laboris dem-tum discipulis in se praeceptor transferat.* Hoc

L 2

ad



ad litterariam institutionem vniuersim quidem pertinet, §. CXIII. in linguis tamen id in primis monere, vel ideo necesse est, quod multum in hac parte passim peccatur. Ita enim fieri vulgo solet, vt vel vocabula vel regulae grammaticae pueris ediscenda tradantur, quae deinde praeceptor magna cum seueritate exigit. Vt adeo plerumque nihil aliud ipse agat, quam vt audiat, quam bene memoriae mandauerint proposita pensa discipuli. Otiosus igitur est praeceptor, sudant discipuli. Ita amor discendi in discipulis ipsa molestia et difficultate restringitur, quo pereunte profectus ipse sufflamina-
tur: vt adeo mirum non sit, plures, cum euaserunt etiam e minorum scholarum ergastulis, magno odio in linguarum studia ferri. Quod si vero praeceptor crebro illos interroget, regulasque intelligere, et ad ipsa scriptoris alicuius verba applicare, praeuendo doceat, tum, quantum ipse laboris suscipiet, tantum molestiae, taediique demet discipulis, discendique ardorem in iis conseruabit, quin augebit etiam et excitabit.

§. CLII.

Ad hunc etiam ardorem excitandum facit regula secunda: *linguae, quam docere incipi-*

as.



as, *historia tractationi eius est praemittenda.* Dices, qui, qualesque populi fuerint, qui eam olim linguam locuti sunt, quanti ea lingua ab aliis populis habita sit, quanta eius neglectu barbaries terrarum orbem inuaserit, quantam laudem consecuti sint eius restauratores, quantus illius in omni vita usus sit, et id genus alia: idque non semel tantum, sed quoties sese obtulerit occasio, monebis. Si cum tenera aetate sit agendum, poterunt iucunda etiam quaedam commenta admisceri, quibus moueatur puerile ingenium, ut etiam personam in illa quasi comodia agere velit. Atque id etiam linguis illis, quas hodie suae loquuntur gentes, fieri potest: gens nimirum illa laudanda, puero suadendum, fore ut aliquando eam adeat, et similia, quae leuia forte quibusdam videntur, sed tamen magnum saepe momentum in praeparando pueri animo faciunt, ut alacrius deinde in negotio ipso progrediatur.

§. CLIII.

Tertia regula: *lexicorum usus in tempore tironibus est ostendendus.* Diu haerere hoc vitium iuuentuti solet, ut, cum lexicis utuntur, quidquid primum occurrerit, illud arripiant,



piant, miserosque adeo centones confarci-
 nent, quos intelligere etiam, quid sibi ve-
 lint, difficile sit. Neque profecto mirum
 est, id ita euenire. Cum enim priusquam
 vllam ex lectione vocabulorum sibi copiam
 acquisiuere, ea lingua aliquid componere,
 aut scribere iubeantur, cuius nihil fere in-
 telligunt, quid cuique loco conueniat, quid
 minus, iudicare non possunt. Vel hinc igitur
 confirmabitur regula, quam supra de-
 dimus, §. CXXXXVII. prius intelligere
 discendum esse, quam ad loquendum, scri-
 bendumue pergatur. Primus igitur lexicus
 vsus sit in quaerenda ignotae vocis signifi-
 catione, non in quaerenda ignota voce,
 qua alia, quae nota est, reddatur. Facilius
 enim puer, cum germanicum verbi caussa
 de latino faciet, quid conueniat ei loco,
 quem prae manibus habet, videbit, vt adeo
 hic adfuescendo discat, non promiscue, sed
 certo iudicio repertis vocibus vti. Si dein-
 de ex notiori sermone in ignotiorem ali-
 quid sit transferendum, et, pluribus voca-
 bulis occurrentibus, dubius haereat, mo-
 nendus est, vt singulas in altera lexicus par-
 te quaerat, et, quibus modis reddantur,
 obseruet: ita, sagacitate praesertim naturali
 adiu-




adiutus, quid sibi conveniat, perspicere haud difficulter poterit; saltem non ita saepe et ridicule peccabit. Quibus ea felicitas contigit, ut semper praesentem habeant praeceptorem, illi, si hic officium faciat, multo labore supersedere possunt.

§. CLIII.

His nos subiicimus quartam regulam: *linguae ita tradantur, ut cum illis res quoque scitu iucundae atque utiles addiscantur.* Habet suam quasi siccitatem ac sterilitatem linguarum studium, si solo ac nudo illo quis occupetur. Cum enim potissimum memoriam requirat, reliquae mentis facultates interim quasi requiescunt, atque otiantur, quae sua quoque alimenta efflagitant. Has melius satiare non poterit, quam si cum linguis res iucundas et utiles suis propinet. Tales igitur libros discipulis legendos tradat, ex quibus scitu iucunda discere possunt: iis utatur ad praeceptiones grammaticas illustrandas exemplis, quae et novitate et utilitate sua se commendant. Neque diem integrum linguis discendis impendi sinat, sed lectionum varietate suos delectet. In ipsa quoque lingua docenda variis insu-



per subsidii feliciter uti poterit, quibus hoc studium et facilius et iucundius redditur. Praesertim vero praeceptor sibi caueat, ne ipse ex linguae studio, toties repetito, taedium capiat, quo ad illam bene docendam ineptus redditur.



SECTIONE II

IN

DISCIPLINIS DOCENDIS AC DISCENDIS

§. CLV.

Vtrinque in scholis peccatur, ut vel omnes disciplinae ex illis proscribantur, vel praeter illas parum aut nihil tractetur. Posterius cum non possit in meliorum litterarum detrimentum non cadere, quae omnis eruditionis non solum sunt subsidia, sed et ornamenta, immo fons quasi et origo: ita prius quantum solidae eruditioni noceat, dici vix potest. Quod si enim in scholis nulla prorsus disciplinarum fundamenta posuerint iuvenes, in alium in Academiis quasi videntur transpositi orbem, ubi cum non prima scientiarum elementa proponantur, sed ista iam nota supponat doctor



ctor academicus, fieri aliter non potest, quam ut furdus narret fabulas, multisque inaudita, quaeque intelligere nequeunt, proponat. Deinde nisi mature meditationi, quae in disciplinis potissimum requiritur, adfuescant iuvenes, intelligentiaeque ac rationis usus, soli tantum memoriae, phantasiae aut ingenio, sensibusque operam nauantes: difficilius, cum adoleuerint, has mentis facultates exercebunt, illisque excultis, licet hae prorsus incultae iaceant, ultra mediocritatem se sapere, putabunt. Disciplinas igitur in scholis omnino docendas commendamus, quaeque id optime ratione fieri possit, quibusdam iam praeeptionibus, quae reliquarum summam comprehendunt, monstrabimus.

§. CLVI.

Prima igitur in docendis disciplinis regula haec sit: *eo ordine illae docendae sunt ac discendae, ut, quae reliquis facilius discendis inseruiunt, praemittantur.* Perpetuum disciplinarum est vinculum, quod in eo maxime conspicitur, ut altera alterius principia suppeditet, alterique opem quasi ferat. In hoc consistit disciplinarum iste circulus at-



que orbis, quem veteres ἐγκυκλοπαιδείαν recte dixerunt. Penitius igitur qui disciplinam vult habere perspectam, hoc vinculum nosse debet, atque adeo primam operam istis scientiis impendere, sine quibus reliquas intelligere nequit. Sic, qui historiam vult addiscere, geographiae gnarus fit oportet, qui artem oratoriam aut poeticam accuratius discere voluerit, dialectices praecepta bene habeat cognita. Hoc ordine igitur in tradendis disciplinis incedat praeceptor scholasticus.

§. CLVII.

Deinde in proponendis disciplinis alteram hanc regulam bene teneat praeceptor: *non plures in scholis docendas esse, quam linguarum et scholasticum curriculum permittit.* Sine alis suos volare iubent, qui, neglectis humanioribus litteris, et linguarum usu, solas disciplinas Academicorum more in scholis crepant, vocabulorumque studium multum infra se ponunt. Quod si alterutro in scholis carendum esset, vel disciplinarum vel linguarum studio, minori certo iactura prius fieri posset, cum huic aliunde subueniri possit, quod aegre fit in posteriori.



ri. Tantum igitur ex disciplinis delibet praeceptor, quantum sine curriculum scholastici detrimento facere potest.

§. CLVIII.

Tertia regula fit: *cuiuslibet scientiae brevis eius historia praemittatur.* Haec non solum valde delectat, sed captui discipulorum quoque maxime est accommodata. Vident iuvenes, qua via incedendum sit in disciplinis inueniendis, illustrandis, locupletandis et confirmandis. Panduntur illis humani intellectus annales, et, a quam exiguis initiis quaelibet disciplina profecta sit, perspiciunt. Quantum veteribus, recentioribus quantum debeat, optime iudicabunt, neque omnia ita esse exhausta videbunt, ut sibi nihil relictum conqueri possint. Haec mire acuunt ingenia, et ad magna incitant.

§. CLVIII.

Quarta praeceptio in eo ponitur: *in cuiusvis disciplinae limine quis eius sit ambitus, quatenam summa capita, partesque praecipuae ostendatur.* Huic operae methodus tabellaris plurimum inseruiet, quam in disciplinis, scholasticae iuventuti tradendis, summo iure maxime commendant. Hac enim συνοψ

6ψ86



¶ Per totam disciplinam commodissime sibi ob oculos ponent, partiumque contagionem et iuncturam optime perspicient. Memoriae quoque maxime consulitur, tabulaeque imago sensibus semper obuersabitur. Habebunt quoque docentes ac discentes filum, atque ordinem docendorum ac discendorum.

§. CLX.

Quinta regula est: *historica quidem disciplinarum cognitione prius imbuendi discipuli, philosophica tamen non omnino negligenda est.* Maior memoriae, quam rationis, vis inest iuuenum mentibus, qui difficiliore argumentationes et demonstrationes perspicere nequeunt. Ab his igitur abstineat scholasticus praeceptor, ita tamen, ut non omnes plane negligat. Quin saepius ipso tractationis ordine, non sentientibus etiam discipulis, dictorum principia suppeditare, eorumque cognitionem solidam efficere poterit. In difficilioribus historica cognitio sufficit, donec ad maturiorem aetatem peruenerint.

§. CLXI.

Sexta regula praecipit, *ut ex disciplinis ea potissimum seligantur, quae reliquorum sunt funda-*



fundamenta, et totius doctrinae praecipua capita. Non sub initium omnia sunt depromenda, sed dilectus instituendus. Praestat igitur disciplinae breuius aliquod compendium pertractare, in quo tractando praeceptor caueat, ne plura dictitando addat, sed id modo operam det, ut quae in illo proposita sunt, luculenter ac recte intelligant. Plura eiusmodi libri plerumque solent comprehendere, quam ut breuitatis argui possint. Principia igitur disciplinae bene inculcet, quae reliquarum doctrinarum quasi sunt fontes. Sensim sine sensu plura addat, aut, unde peti possint, ostendat.

§. CLXII.

Septima regula, *cuiuslibet thesoros accuratam analysin fieri*, iubet. Sine hac luculenta positionis cognitio nullum locum habet. Quo magis autem eius partes considerantur, earumque connexio ostenditur, eo fit clarius. Sic tenebrae ex iuuenum animis pelluntur, quaeque discunt, non memoriter solum, sed cum iudicio ac cognita ratione tenent. Hoc modo nemo, quae non intelligat, discit, firmiusque omnia haerebunt.

§. CLXIII.



§. CLXIII.

Octava regula est: *omnia selectis exemplis illustrentur*. Quam exempla didacticae inserviant, §. LXXVIII. iam dictum est. Ibi quoque, quomodo exempla debeant esse comparata, praecepimus ita, ut hoc loco plura addere, opus non sit. Pergimus igitur ad nonam regulam, quae, *usum cuiuslibet doctrinae semper indicandum*, commendat. Sic accenditur, aliturque discendi ardor, neque in cassum quidquam discitur. Discipuli, quae didicerunt, ad usum ipsi conferre adfuescunt, neque sola cognitione contenti sunt. Ita non scholae, sed vitae discitur.

§. CLXIII.

Decima denique regula, *intellectu difficiliora, perplexa, dubia atque incerta praetermittenda* suadet. His enim iuvenes facile deterrentur, aut ancipites haerent, cumque ipsi, quid verum, falsumve sit, non intelligant, in transversum saepius rapiuntur, aut praedudicatis opinionibus adhaerent. Ab his mentis morbis immunes ut maneant, neque praecipitanter iudicent, quaestionibus indissolubilibus non sunt defatigandi. Super-
sunt



sunt in scientiis sat bene multa, quae nosse plus iuuenum interest.

§. CLXV.

His quasdam regulas, in discendis disciplinis obseruandas, addere liceat, quae reliquarum quasi sint summa. Prima est: *singularis attentio adhibenda est, ut quaelibet enuntiatio, prima vice explicata, recte, nec sinistre intelligatur.* Hanc intelligentiam absque attentione locum non habere, quiuvis, credo, largietur. Ne igitur animus aliis rebus sit intentus, aut attentio illis turbetur, aut interrumpatur, sed omnis attentionis vis eo dirigatur, ut, quis sit cuiuslibet theosofus sensus, plane intelligatur. Quod si prima statim vice fiat: ad retinenda, quae discimus, multum facit. §. CXXII.

§. CLXVI.

Altera regula, *diligentiam in repetendo*, commendat: quo enim saepius repetuntur, eo facilius illa recordamur, tenacique memoria haerent. Neque repetitio diu differenda est, sed, si fieri potest, statim post lectionem instituenda. In ipsa vero repetitione consideratione ac meditatione opus est,



est, vt iusto ordine ac singulatim omnia expendantur, neque mens ab vna re statim ad alteram, priori non satis percepta, auolet. Neque praepostere hac in re agendum, sed rei naturam sequi fas est, vt cogitationes alteram altera gignit, vtque doctrina in schola a praeceptore fuit proposita.

§. CLXVII.

Tertia haec est: *initio praeceptori fides habenda, deinde vero omnia ponderanda, atque iudicium adhibendum est.* Non id volumus, vt in verba magistri iuret discipulus, sed cum ingenii eius tanta nondum sit acies, vt a falso verum caute satis distinguere possit, facileque suo iudicio in transuersum abripiatur, quae praeceptor vera iudicat, ille tamdiu vera habeat, donec ipse iudicare discat. Ad hanc maturiorem aetatem ubi peruenit, nihil verum iudicet, nisi quod satis firmis argumentis probatum nouerit. Hoc enim tempore praeceptoris auctoritas non tantum valeat, vt propterea verum quid iudicare debeat.

§. CLXVIII.

Quarta regula est: *si qua obscura manserint, illorum illustrationem priuatis colloquiis*

a



a praeceptore petat. Tantum absit, vt
eiusmodi tenebris ab ardore discendi reti-
neatur, vt illis potius diligentia acui debeat.
Superatis enim aliquot difficultatibus faci-
liori deinde via incedet, neque eiusmodi
salebris retardabitur. Quinta regula est:
crebriori exercitio, colloquiis ac disputationi-
bus, quae didicit, penitus cognoscere studeat.
Hac ratione non solum ipsa doctrinae co-
gnitio perfectior redditur: sed ipse quoque,
vt, quae didicit, aliis proponere possit, aptus
euadit. Haec docendi facultas magnam
praestat vtilitatem, neque semper cum ipsa
doctrinae cognitione solet esse copulata.
Hac autem via facillime addiscitur.

§. CLXVIII.

Sexto loco regula haec fit: *si disciplinae*
alicuius campum semel, bis, terue fuerit emen-
sus, tunc libri alii consulendi, legendique. In
legendis his libris idem iudicium, quod in
repetitione, adhibendum, in ipsis vero li-
bris dilectus habendus, vt meliores consu-
lat. Septima denique regula haec esto:
prae disciplinis iuuenis bonas litteras ne sper-
nat. In his quasi habitet, domique sit, in
illas saepius excursus fiat, vnde tamen sem-
M per



per ad humanitatis studia reuertendum. His enim nisi in scholis bene fuerit imbutus, sero damnum sentiet, cum illarum in scholis neglectum curriculum academicum sarcire possit. His igitur limitibus in scholis circumscriptae disciplinae tantum abest vt discipulis noceant, vt absque illis vlla schola bene constituta dici nequeat. Quae igitur haecenus speciatim dicta sunt, ad singulas iam lectiones scholasticas vt applicemus, sequitur.

